



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 1. Quid est Eleemosyna.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

quod est unius vel paucorum. Item ceteris paribus Benefactor aliis præferendus est.

Dixi, *in pari necessitate*. Quia extraneus, in maiore necessitate positus præferendus est propinquo longè minùs indigenti: nam cùm præceptum Charitatis non obliget ad benefaciendum aliis, nisi sint in aliqua necessitate, magis, & potiùs obligat, ubi major est necessitas. S. Th. q. 31. a. 3. quòd si possis omnibus subvenire, teneris. Hinc extraneus in necessitate gravi spirituali debet præferri consanguineo gravem necessitatem corporalem patienti: quia tum necessitas extranei est major ob indigentiam boni magis necessarii, & quia sicut tenemur magis diligere proximum in spiritualibus, quàm nos ipsos in corporalibus: ita & tenemur magis diligere extraneum in spiritualibus, &c. Porro obligatio servandi hunc ordinem est ex genere suo gravis, cùm nascatur ex præcepto Charitatis gravissimo, & ejus materia ac finis sit gravis.

CAPUT IV.

De Eleemosyna.

Q. 1. *Quid est Eleemosyna?*

Resp.

Resp. Est sublevatio alienæ miseriæ propter Deum. Sive est auxilium proximo indigenti datum ex compassione propter Deum. Estque opus misericordiæ imperatum à Charitate: Misericordia autem est virtus, quæ nos ex compassione inclinât ad subveniendum alienæ miseriæ, ex S. August. lib. 9. de Civit. cap. 5. Illi per excessum opponitur nimia cordis mollities, seu indulgentia, per defectum cordis durities, & crudelitas.

Eleemosynæ, seu opera misericordiæ, ac Charitatis magis vulgata, & ad quæ cætera reduci possunt, sunt quatuordecim. Septem corporalia, nempe visitare infirmos, & carcere detentos, potare sitientes, pascere esurientes, redimere captivos, vestire nudos, peregrinos hospitio suscipere, & sepelire mortuos. Et septem spiritualia, nempe præbere consilium, corrigere peccantem, docere ignorantem, consolari tristem, remittere offensam, ferre patienter injurias, & molestias, ac defectus proximi, pro omnibus orare, juxta hos versus.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Q. 2. An extat Præceptum Eleemosinæ, & quandonam obligat sub mortali?

Not. 1. Necessitas seu indigentia pro-

Ec 4

zini